

Wf
190





A. 70, 29




*De Cancellariis Alten-
burgensibus*

Ad
audiendam
ORATIONEM VALEDICTORIAM
De
CANCELLARIATU,
In
SCHOLA ALTENBURGENSI
XII. KL. Maji A.C. cl^o l^o LXXVI.
habendam,

Omnes Musarum Altenburgensium
Patronos atque Fautores
ea, quâ decet, observantia ac modestia
invitat

M. PAULUS MARTINUS SAGITTARIUS,
RECTOR.

Altenburgi, apud Gothofredum Richterum,
Typographum Ducalem.





L. C.



Uas denuo pulso fores, tu-
aꝓ; interpello negotia, nō meo du-
ctu, sed precibus adductus Juvenis
pietate, morum probitate & exi-
miis in literatura humaniori profe-
ctibus valde conspicui, JOH. GEORGII BREH-
MII, filii natu majoris, Viri Nobilissimi, Amplissimi
& Consultissimi Dn. JOH. GEORGII BREHMII,
Jcti celeberrimi, Districtus Altenburgensis Præse-
cti meritissimi, Patroni atq; Promotoris mei æter-
num venerandi; Is enim exhibita de CANCEL-
LARIATU Oratione, multis lucubrationibus
commentata, Gratiisq; propitiis conscripta, quæ i-
psius est modestia, à me petiit, ut non habendæ so-
lum Orationi facerem copiam, sed præsentibus
quoq; pagellis Tuum, L. B. exorem deprecereq; ac-
cessum: cujus honesto desiderio refragari nec vo-
lui, nec potui: neq; id per favorem & beneficio-
rum, quibus Amplissimus ipsius Parens me planè
immerentem affecit, multitudinem liceret. Ante
vero quàm id aggrediar, paucalibet præfari, non de
Cancellariatus dignitate, quam Juvenis ingenius
in memorata Oratione satis superq; dedit com-
men-

mendatam, sed CANCELLARIIS, qui ab eo, quo *Altenburgum* nostrum in Sere. Familiae Witekindæ tranſiit poteſtatem (tranſiit autem Anno 1308.) tempore optimis Principibus fuerunt à conſiliis. Agmen ducat

I. Magiſter *Walch* / Cancellarius *Friderici Animoſi*, vel *Admorſi*, qui primus Marchionum Miſniae in ſolatium damni bello accepti oppido noſtro una cum *Cygnea* & *Chemnitio* eſt potitus. In literis laudati *Friderici* noſtræ conſeſſis ciuitati datisq; Anno 1312. die Martis ante S. Laur. reliquis teſtibus titulo *des oberſten Schreibers* annumeratur.

II. *Waltherum*, Capituli Miſnensis Præpoſitum, Cancellarii officio in eadem aula functum literæ feudales Apelio & Friderico Wangenheimis traditæ & Rochlitii Anno 1325. die Margarethæ ſcriptæ allegant, quarum ſummam Joh. Binhardus in ded. Chron. Thur. C. 2. b. attulit.

III. *Henrico* à *Korwitz* / Cancellariatus honorem *Fridericus Strenuus* detulit, cujus rei teſtes ſiſto jam citati *Friderici* literas, Cœnobii Portenſis jura in pago *Zeutenthal* confirmantes conſeſſasq; Rochlitii Anno 1353. non vero Anno 1135. ut in *Justini Pertuchii* Chron. Portenſ. l. i. c. 2. p. 65. extat, procul dubio ex errore Typothetarum.

IV. *Nicolaus* à *Lübeck* / Eccleſiæ B. Virginis, quæ eſt Erfurti, Decanus, dein *Friderici Bellicoſi* Cancellarius & tandem Anno 1411. Epilcopus

Martisburgensis, approbante Papa Johanne 24. designatus numero 38. vel etiam 37. ex mente Gabr. Bucelini, part. I. Germ. Sacrae f. 42. Epponem, aliis duodecimum, omittentis. Laudatur ipsius prudentia, summum item ingenii acumen, & opera in ornanda Academia Lipsiensi, cujus perpetuus Cancellarius ipse & successores constituti, ut refert Matth. Dresserus part. IV. Isag. Hist. f. 906. Illius quoque cura insignis Episcopatus Martisburgensi facta est accessio, adjectis arcibus Scopavia & Lubenavia. Concilio Constantiensi, in quo Johannes Huss & Hieronymus Pragensis ad rogam dampnati, ab Anno 1414. ad An. 1418. nomine Frederici & Episcoporum Magdeburgensis & Naumburgensis interfuit. Obiit An. 1431. Dominica Palmarum, Martisburgi in Ecclesia Basilica sepultus, teste Ernest. Brotuffio l. 2. Chron. Martisb. c. 47.

V. Johannes Magdeburg / Praelatus Naumburgensis Praepositus, Cancellarium in aula *Friderici Placidi*, Electoris egisse dicitur. Conciliavit Anno 1443. Capitulum S. Georgii & Domum Teutonicam cum Senatu nostro oppidano, ut litterae docent Friderici hinc die Martis post Festum Pentecostes exaratae. Ejus quoque mentio in literis jam nominati Friderici Anno 1444. die Martis post sacra Pentecostalia compositis injicitur, quibus sylvam *Rarholtz* / urbi Cygnae in feudum concessit juxta Tob. Schmid / part. 2. Chron. Cygn. c. 1. p. 225.

VI. Georgius à Haugwitz / Canonicus Naumbur-

4.
or.
iis
u.
ra
us
c.
ll-
r-
ia
o-
n
ri-
n-
l-
s,
e-
it
n
e-
n-
is
t
s
f-
6.
-
e.

burgensis, Martisburgensis & Herbipolensis, Decanus Capituli Cizensis juxta Petr. Albinum Chron. Misn. tit. 25. f. 337. aut Misnensis ex mente Laur. Pecensteini part. 1. Theatr. Sax f. 85. Cancellarii muneris à *Friderico Placido* admotus, Vir stupendæ eloquentiæ & admirandæ in rebus peragendis dexteritatis. In locum denati agnati Petri, Episcopi Naumburgensis anno 1463. 19. Sept. eligitur, quo novo honore auctus paulò post, nempe die 1. Oct. vitam cum morte commutavit, humatus Cizæ, ut Dresserus part. IV. Itag. Hist. f. 910. tradit, qui Imperatoris *Friderici III.* Cancellarium, quæ de causa, nescio, appellat.

VII. *Johannes Stadtschreiber* / Haugwitzio datus successor, ut patet ex literis *Friderici* anno 1464. die Jovis post festum Pentecostes hic scriptis. *Georgius Agricola* in Orat. de rebus gestis *Ernesti* & *Alberti*, magni ejus fuisse operam prædicat in Legibus sumptuariis, vestiariis & mercenariis ferendis, quas prælo sæpius subjectas vidimus.

VIII. *Johannes à Mergenthal* / partes Cancellarij apud *Ernestum* tuebatur, ut videre est ex literis *Ernesti* Misnæ anno 1467. die Epiphaniarum signatis. Tandem ærario provinciali præfuisse, volunt literæ Civitati Lipsiensi anno 1470. die Veneris post Domin. Quasimodogeniti exhibitæ, quas Chronico suo Zach. *Schneider* l. III. p. 130. inseruit.

IX. *Johannes Scheibe* / patriâ Lipsiensis, J. U. Doctor & Professor in Academia patria, Cancellarij

rii munus in aulâ *Ernestina* summa cum laude obiit : allegatur hoc honore maectatus in variis diplomatibus Anno 1470. datis. Adfuit suo Principi dissidia inter Matthiam Ungariæ, Casimirum Poloniae & Uladislauum Bohemiæ Reges cum Alberto, Electore Brandenburgico feliciter & ex voto componenti anno 1474. non anno 1489. ut Dresserus l. c. f. 988. autumat ; Eo enim & Ernestus & Albertus jam tum ad plures abierant, | qvanqvam Johannem, Alberti filium nominet Dresserus, in quo tamen iterum labitur. Conf. Georg. Fabrit. l. VII. Orig. Sax. f. 783.

X. *Gregorius*, (non *Georgius*) *Heinse* / à patria *Brück* / vel *Pontanus* vocatus, natus Ao. 1483. Cancellarii provinciam sub regimine *Fridericici Sappieris*, *Johannis* & *Johannis Fridericici* obtinuit, aulæ lumen, asylum Ecclesiæ, literarum Parens ac Patronus maximus, qvin & alter Aristides ac Lælius, ut à Philippo Melanchthone in Ep. ad Tarnovium Polonum salutatur. Vir æterna laude & memoriâ vel ideo dignissimus, qvoad *Megalandrum Lutherum* in reducenda Ecclesiæ primitivæ fide impigrè defudantem omnibus modis adjuverit. Adstitit eidem in Comitibus Wormatiensibus anno 1521. habitis, ne modum excederet, aut à Pontificiis circumventus periculo se exponeret. Principem suum ad Comitibus Augustana anno 1530. abeuntem comitatus est, in quibus Confessionem Statuum Protestantium ab urbe Augustâ Vindelicorum Augustanam
no-

nominatam non prælegit, ut Fabritius I. VIII. Orig. Saxon. f. 28. arbitratur, sed à Christiano Beyero recitatam Alexandro Schweiffio, Secretario Cæsareo exhibere voluit, quam tamen ipse Cæsar *Carolus V.* manu apprehendit. Hæc autem verba fertur adjecisse ex relatione Georg. Cœlestini T. II. Hist. Comit. Aug. f. 190. *Divina cooperante gratia ac D Eo suam causam agente hæc Confessio etiam contra inferorum portas prævalebit.* Apotheosin *Bennonis*, Episcopi Misnensis anno 1524. 17. Kl. Junij factam pro virili promovisse dicitur Fabr. I. III. Ann. urbis Misn. f. 83. Bellum contra Cæsarem dissuasit, fidem suam his contestando verbis: *Comes fortunæ Principum sum futurus, qualiscunq; etiam eventus erit: at belli svasor non ero,* ut narrat Frid. Hortlederus I. IV. Hist. belli German. c. 19. f. 955. Autor habetur responsi, quod *Johannes Fridericus* Elector proscripti à Carolo V. promulgatæ reposuit, quodq; legitur in Hortledero I. III. c. 29. f. 305. Tandem aulæ valedicens Jenam se contulit, munere Professorio in Gymnasio ibidem recens fundato perfunctus. Obiit 1557. 15. vel 20. Februar. ut placet Wolffg. Krugero in Catal. mille vir. p. 116. tumulatus in templo oppidano Vide Nicol. Reusneri vol. 2. Or. Paneg. p. 209.

XI. *Christianus Beyer* / J. U. D. *Johannis* & ipsius filii *Johannis Friderici* Cancellarius, Confessionem Augustanam coram Imperatore *Carolo V.* Rege Romanorum *Ferdinando* Statibusq; Imperij

rij 25. JunI lingvis Latina & vernacua articulatum
& sonora voce recitavit, ut non solum in concla-
vi, sed in area etiam inferiori potuerit percipi. Fati-
munus Vinariae anno 1535. 21. Oct. implevit, ubi &
ossa in templo parochiali condita. Consule T. IX.
Altenb. Op. Lutheri f. 1572.

XII. *Melchior ab Ossa*, J. U. D. ob eruditionem
& rerum peritiam magni aestimatus ad summos
pervenit honores, quos inscriptio mox proponen-
da adducet. Jus civile primum exposuit, dein Can-
cellarius *Georgii & Joh. Friderici* circa ann. 1542.
ex cujus aula malevolorum dolis petitus in subur-
bium nostrum secessit, in quo ad finem usque vi-
tae substitit, erecta domo elegantissima in locum
aedis S. Agathae Scholaeque destructae, à vicino Mo-
nasterio B. Virginis & rupe der *Frauenfels* vocata.
Dolendum verò est, quod tabula aenea januae ex
voluntate Patris imponenda à filiis diffracta ampli-
us non compareat. Recensebo verba monumen-
to olim insculpta. *Dis Hausß Frauenfels hat der Eh-
renveste / Gestrenge / und Hochgelahrte Hr. Melchior
von Ossa / der Rechten Doctor / der Aller durchlauch-
tigsten / Großmächtigsten und Unüberwindlichsten
Fürsten und Herren / Herrn CAROL, des Fünfften /
Römischen Kayser / und Herrn FERDINAND, Rö-
mischen zu Ungern und Böhmen Königs-Kath : die-
ser Zeit Churfürstl. Sächsischer Ober-Hoffrichter /
und der Fürstl Graffschaft Heldingen Stadthalter /
dem Geschlecht zu Ehren / und seinen Nachkommen
zum*

zum besten: Von denen es auch sambt seiner Zugehör-
rung nicht entwendet werden / sondern ewiglich bey
seinen Nachkommen bleiben soll / erbauet / und solch
Haus ward zu bauen angefangen Anno CHRISTI
M.D.XLII. Als der von Dße Churfürstl. Sächs.
Sankler war / und ist im XLVII. XLVIII. LI. und
folgenden Jahren verbracht worden. **G**ott sey ge-
lobet und gepreiset / der gebe diesem Hause und allen
denselben Einwohnern seinen Gnadenreichen See-
gen / vermehre ihnen das tägliche Brodt / und sey als
ein gewaltiger Herr des Hauses und derer aller Ein-
wohner Behüter und Beschüter. In hac domo
iussu Electoris Augusti librum præstantissimum
sub titulo *Testamenti* confecit, qvi modum Rem-
publ. bene & ex usu omnium administrandi osten-
dit. In eadem quoque vitam posuit, Ossaæ terræ
mandatus. vid. P. Albin. Chron. Misn. tit. 25. f. 348.

XIII. Jobst à Hayn idem fatum cum Electore
Johanne Friderico habuit; Captus enim est 24.
Apr. 1547. habito funesto ad Mulbergam prælio,
ut memorat Hortleder I. III. c. 70. f. 438. Vinariæ
mundo immundo valedixit, cujus cadaver tem-
plum oppidanum adhuc hodie asservat, ut lapis se-
pulchralis testatur his verbis conspicuus: 1550. den
27. Februarii ist der Gestrenge / Ehrenveste Jobst
von Hayn / Churf. Gnaden zu Sachsen Sankler in
Gott entschlaffen.

XIV. *Franciscus Burchardus*, Phil. Magister,
ut etiam vocatur à *Joh. Friderico* in literis ad Ca-
rolum V. 1546. 16. Apr. datis, Vinariensis à patria Vi-
naria dictus, in qua primum lucem hanc conspexit

6. Julij anno 1503. juxta Casp. Cunradum, millen. II. Profopogr. Mel. p. 34. vel anno 1505. ex sententia Eliæ Reufneri Isag. Hist. p. 638. In Comitibus Spirensibus adornavit Apologiam Epistolæ supplicis Julij Pflugij, Præfulis Naumburgensis oppositam, quam apud Hortlederum l. V. c. 13. f. 1150. videbis. De vitæ statione decessit 11. Jan. 1560.

XV. *Erasmus à Mincwiz* / Toparcha in Dre-
nau, Patavii literis operam dedit, ubi Rectoris &
Doctoris titulo insignitus legitur. Commendatur
à propenso in verbi divini ministros & literatos a-
more. Proinde Johannes Stigelius eundem cum
horto arboribus herbisqve confito suiqve usum
cuivis permittente comparavit, ut testatur Cyr.
Spangenberg l. VI. Adesp. c. 39. f. 63. b. Conven-
tui Naumburgensi anno 1554. instituto nomine Jo-
hannis Friderici, nati Electoris, interfuit, cui quo-
qve pacta subscribenda obtulit, his verbis facta sub-
scriptione dimissus: *Ziehet hin / lieber Herr Sank-
ler / was ich nicht bestellen kan / des mögen sich mei-
ne Söhne mit einander freundlich vereinigen /* ut
ex Joh. Stigeli Epistola videre licet. Placide exspi-
ravit 14. Sept. 1562. æt. 51.

XVI. *Christianus Pontanus*, filius *Gregorii Pon-
tani*, Archigrammateus *Johannis Friderici Medii*,
Johannis Wilhelmi & *Johannis Friderici Junioris*,
Witebergæ Anno 1543. 26. Jan. Doctoris gradu est
donatus. Cum Academia Jenensis privilegia &
statuta, præsentibus Principibus 2. Febr. 1558. recitarẽ-
tur, elegantem habuit orationem. Naturæ debi-
tum contra votum solvit. Gothæ 18. Apr. 1567.

XVII.

XVII. *Stephanus Clodius*, Cancellarius *Johannis Wilhelmi*, de quo nihil mihi constat, nisi quod contra proscriptos Gothanos feralem cum aliis tulerit sententiam.

XVIII. *Henricus Schneidewein* / Stolbergacherus, *Johanni Friderico* Electori à *Luthero* & *Philippo* commendatus Cōsiliarii aulici munus Anno 1538. consequitur. Porro in Academia Jenensi vices Ordinarii gessit usq; ad Ann. 1573. quo ab *Augusto* Electore filiis *Johannis Wilhelmi* datus est Cancellarius. Memoria illius adhuc viget partim ob pacta Cizensia An. 1567. inter Ernestinam ac Albertinam lineas confecta, partim quod donationem sui in toro antecessoris *Wolffg. Reisenbuschii*, J. U. D. Præceptoris Lichtenburgensis & Consilarii Electoralis, nec non uxoris *Anne* de stipendiis quotannis solvendis ratam habuerit, instrumento, ut appellatur, An. 1578. die Martis post Pascha conscripto. Ex eodem summa tantum attingam capita. Constituit scilicet, ut *ducenti floreni*, qui de *quater mille florenis* occupatis singulis annis redirent, inter nepotes, & si qui futuri, posteros, consanguineos & peregrinos Musis litantes distribuerentur. Et quidem duo, unus ex Vinariensi, alter ex Coburgensi Ducatibus studio Theologico se applicent, quotannis 33. flor. & 7. grossis beandi. Reliquum accipiant, qui in linea descendente à communi stipite deducuntur ab anno ætatis 12. ad 24. & si hi defunt, consanguinei ab anno 15. ad 21. his vero deficientibus Stolpenses, Torgavienses, Jenenses & posterii Lutheri, Philippi, ut & M. Georgii

Rorarii, Diaconi Witebergensis ab anno 18. ad 21.
Præterea maritandis viduisq; certā pecuniæ tribuit
summā. Executores hujus rei esse voluit *Senatum
Salfeldensem*, cui facultatem stipendium suis civib⁹
conferendi in laboris præmium dedit, ut & prima-
riæ dignitatis ex familiā virum, quas partes hodie
Henricus Christoph. *Schlichtegroll*/agri Burgelen-
sis Præfectus, testatoris pronepos, probè sustinet.
Aula exiit An. 1578. & vita An. 1580. 7. Maji Jenæ, non
Vinariæ 8. Apr. ut Reulnerus l. c. p. 663. statuit, quem
propterea M. Adr. *Beyer* Syll. Prof. Jen. p. 545.
erroris arguit.

XIX. *Johannes Stromerus*, Auerbaci in Palati-
natu An. 1526. 22. Julii patre Johanne, Senatore &
matre Catharina Kelneria natus, J. U. D. Lipsiæ An.
1560. proclamatus & dignitati Professoriæ An. 1566.
admotus. Inde Augustus Elector Schneideweinii
successorem An. 1578. voluit esse usq; ad An. 1587.
quo Jenam adiit Ordinarii & Præsidis in sacro
Synedrio officium administraturus. Hos autem
honores Theander Lutherus ipsi videtur prædixisse;
Cum enim An. 1539. Theologis Witebergensibus
Lipsiæ in ædibus patris Heinrici Stromeri, Med. D.
coenantibus apparuisset, à Luthero advocatus his,
poculo vini oblato, compellatur verbis: *Johannes
stude & bibe: ex multis poculis bibes*. Relatu etiam
dignum judico, quod una cum matre & duabus
sororibus primus sanctā Coena sub utraq; specie in
patria fuerit usus. Adjicerem quoq; quinque regu-
las lecto inscriptas, si chartæ pateretur angustia. Vid
Beyer in Syll. Prof. Jen. p. 570.

XX. *Marcus Gerstenberger* / Budstadii in lucem editus, patrem nactus est Jacobum, Præto-rem, & Annam Neufin / An. 1553. Domin. Lætare. Doctoris titulum Jena An. 1576. ipsi tribuit & eodem anno Volcmarus Wolffgangus, Comes Hohensteinensis Cancellariatus munus, in quo permansit ad An. 1588. Tunc enim in aulam *Friderici Wilhelmi* I. idem suscepturus officium accersebatur, ubi expectationi de se conceptæ abunde satisfecit. Electorarius Saxoniae, & Bohemia insigni virum hunc prosequerentur amore: ille ob Calvinianos ejectos: hæc oblitteras Majestáticas & liberum religionis Lutheranae exercitium à Cæsare Rudolpho II. An. 1609. impetratum, pro qua opera Status Bohemiae ordini Nobilium eum annumerare voluerunt; sed delatum honorem recusavit. Drësdam An. 1609. concessit, ut Electori à secretioribus consiliis esset. Ipsi autem liberalitas erga egenos Musarum alumnos hic minimè est prætereūda; Ordinavit enim, ut 12. Studiosi ex Ducatu Saxonico lineæ Vinarie-nsis & Comitatu Hohensteinensi, mensæ liberalis beneficio Jenæ fruantur, legatis eum in finem 4000. florenis. Donationem Principes An. 1600. 3. Jun. confirmarunt. Nihilominus 12. Scholares pauperioris conditionis eodem mensæ liberalis beneficio sustentavit, quamdiu hic locorum est commoratus. Animam Deo ²² Aug. 1613. & corpus exanime templo S. Sophiae 29. Aug. reliquit.

XXI. *Johanni Wexio*, cui Jena & natales & mitram Doctoralem anno 1585. contulit, provinciam Cancellarij *Johannes*, Dux Saxoniae, per XII, annos

hic fedem suam habens demandavit. Centum florenos pauperibus erogandos anno 1602. destinavit. Quod in ipso immortale, DEO est redditum: Mortale vero Cœmeterio nostro 24. Nov. 1664 habetur illatum. Hujus viri officium cum virtutibus hæreditaria quadam benignitate in optimum Nepotem, Dn. *Ioh. Christophorum Wexium*, Jctum celebrat. & Ser. Postulati Administratoris Præfulatus Martisburgensis *Christiani* Archi-Grammateum & Consiliarium intimum, quem DEUS servet, videmus translatum.

XXII. *Elias Förster* / cui fors nascendi dedit Patrem Johannē, Consiliariū & Feudaliū Secretarium aulae Vinarientis, ut & matrē Ursul. Fugmann. à qua hanc in lucem Vinar. A. 1567. 18. Jul. editus. A *Frider. Wilhelmo* I, A. 1592. 3. Junij Collegio Consiliariorum adscribitur, eidemq; ut Cancellarij, A. 1609. 27. Oct. à Septemviro *Christiano* II. præficitur. Doctoris vero gradu Jenæ 1593. 22. Jan. ornatur. Illustre sibi nomen pluribus legationibus & actionibus peperit, quas hic commemorarem, ni *Wolfgangus Heiderg* hoc labore me superledere juberet, quippe qui tanti viri laudes prolixa Oratione recensuit vol. I p. 646.-683. A *Rudolpho* II. Imperatore, Comes Palatii Sacri A. 1609. 3. Mar. fuit creatus. Vitam exiit 15. Februar. 1625. in templo Discalceatorum 22. ejusdem sepultus. Vivit adhuc in Filio paternarum virtutum æmulo felicissimo, Dn. *Carolo Christiano*, Jcto cel. Ser. Postulati Administratoris Episcopatus Cizensis *Mauritii* Consiliario & Camerae Præfecto, quem ex Maria Freundia suscepit. Quod hic egerit, velim DEUS approbet, ipsumq; salvum conservet quàm diutissimè.

XXIII. *Bernhardus Bertramus*, Quedlinburgi A. 1591 12. Jan. vitalem hausit auram, vir singulari in jure civili memoria summaq;

maq; scientia, quam Witebergæ, Lipsiæ & Jenæ labore improbo comparavit, quaque supremos in Jure honores Jenæ A. 1616. 12. Jan. obtinuit. Lipsia ipsum A. 1618. vidit Assessore Curia provincialis, & Hemipolis A. 1625. nec non Altenburgū A. 1626. Cancellarii officio decoratum. Qualem vero segeserit, il adhuc norunt, qui egregias summi viri virtutes admirabundi conspexerunt. Ordo sacer Patronum maximum & pauperes Evergetam benignissimum amiserunt, quod factum A. 1640. 25. Febr. Ipsius cineres templum Cœnobio nostro contiguum asservat.

XXIV. *Henricus Gebhard* alias *Wesener* / Hæreditarius in *Selminis* natus Erfurti 13. Apr. An. 1578. patre cognomine, Senatore, & matre Regina Leudolfia, Lipsiæ & Jenæ Jurisprudentiæ navavit operam, & inde A. 1608. Doctoris titulum reportavit. Deinde *Henricus Junior Ruthenus* Consiliarium & mox Cancellarium eum constituit. Tandem A. 1640. 1. Sept. Altenburgum adiit ad munus Cancellarii obeundum, quod *Fridericus Wilhemus II.* Pater patriæ quondam indulgentissimus ipsius fidei crediderat. Immortalem autem famam sibi paravit editis quamplurimis scriptis de *jurisdictione Ecclesiastica. usucapione, & diversis temporalibus prescriptionibus*; Quo & pertinent *Juris principia ac fontes, ut & fundamenta Logicæ Socratico Peripateticæ. Geræ*, quam negotiorum expediendorum causa petierat, diarrhæa correptus 29. Apr. 1653. piè decessit, ibi quoque in templo oppidano tumulatus.

XXV. *Volfgangus Conradus* à *Thumbshirn* / Dynasta in *Ponitz* / *Mobitz* / *Eohma* & *Frauenfels* / patrem habuit Johannem Heinricum, & matrem Annam Einsideliam, ex cujus visceribus prodiit An. 1604. 28. Apr. Musis Lipsiæ & Tubingæ, Marti vero sub imperio Johannis à *Dislau* / nomen dedit. Paulo post *Johanni*, Principi Anhaltino datur morum præfectus. A. 1639. 9. Dec à *Friderico Wilhelmo II.* huc vocatus, Cōsiliarii, Præsidis Synedrii sancti & Cancellarii munia probe expediit. Magnæ ejus fuit opera in tractatibus pacis Osnabrugo Monasteriensibus ut & Executione Norinbergensi. In recudendis Lutheri operibus consilio & pecunia præsto fuit. Ipsius quoque fidei *Classis superioris* fundationē adscribimus, impetratis à Seren. Principe cētum thaleris in annos singulos solvendis. Plura cōmodiori tēpori reservo. Obiit 24. Nov. 1667. relicto sui desiderio. Cadaver exanime
tem-

147
190
97

templo Discalceatorum 19. Dec. tradebatur, cui levem terram precamur. Floreat Generosa Familia suumq; decus ad seros, si qui futuri, posteros transferat!

XXVI. *Johannes Thomæ*, Toparcha in *Naueendorff*/Lipsiæ An. 1624. 28. Augusti natus patre Michaële, J. U. D. causarum Patrono felicissimo, & matre Anna Schultesia. Jenâ, quæ summos in Jure honores An. 1648. 21. Mart. & munus Professorium An. 1650. 15. Mart ipsi obtulit, Altenburgum An. 1652. 21. Jan. discessit, ut Ser. Principi à Consiliis esset, à quo An. 1654. ad Comitata Ratisbonensia ablegabatur. Iis autem finitis Deputationi, ut appellatur, Francofurtenfi & tandem Comitibus Ratisbonensibus interfuit, ex quibus ad nos 1668. m. Jan. feliciter rediens Cancellarii munus in se devolutum suscepit. Pluribus in summi Viri laudes excurrerem, ni ipsius modestiam onerare viderer. Interea, Mæcenas optime, patere, ut dum alii diffusè Te venerantur, ego religioso silentio omnia approbare, pioq; voto pagellas has obsignare queam. Deus ea benignitate Te nobis diu servet incolumem, quam super magnas plurimasq; virtutes præcipua eruditionis politioris laude consequi meruisti.

Atq; hæc de *Cancellariis Altenburgensibus* præfari volui. Si plures Tibi, L. B. occurrent, de tua in communicando facilitate certam mihi facio spem. Sed ad id nunc redeo, cujus gratia hæc scripsi. Ex primis lineolis Juvenis ingenui desiderium percepisti, utinam & tu, Musageta benevole, vel igniculum desiderii sentires audiendi Orationem ipsius politam! Senties autem & nos sentiemus, si hora II. pomerid. peroranti animum advorteris & vacivas quoq; præbueris aures quinque Scholæ nostræ ælumnis pietatis & industriæ studio merito commendandis

JOH. MARTINO ZEIDLERO, Altenb.

MICHAELI WERNERO, Eisenberg.

MICHAELI SCHUMAMNO, Petersberga-Osterlando.

JOH. FRID. KEILIO, Alt. &

JOH. CASP. ZENNERO, Alt.

qui Ebræo, Græco, Latino & Germanico sermone eoq; ligato abiturienti vota nuncupabunt. Vale P. P. XII. KL. Maji,

A. C. clv Idc LXXVI.

16. C.

eca
uri,
fiæ
au-
qvæ
ro-
An.
ivo
tem
lem
68.
um
fius
pa-
ntio
am.
vam
oli-

olu-
tate
atia
ium
lum
sen-
tia-
qve
rito

itu-

ULB Halle 3
004 965 205


V077





A. 70, 29



ORATIO
CANON
SCH
XII. KL

IAM
TU,
SI
XVI.

Omnes
M. PAULI

nsium
ARIUS,

Altenbu

